

65 regnum coelorum a constitutione saeculi praeparatum est. Tantum est ne nos met ipsos ab ingressu bonorum, persistendo in malis pertinaciter, excludamus. Donec enim sumus in hac vita, quantumcumque nobis accederint peccata, possibile est omnia ablui per paenitentiam. Cum autem abducti fuerimus ab hoc saeculo, ibi iam et iam paenitebit nos, valde enim paenitebit, sed nulla erit utilitas paenitentiae. Et licet sit stridor dentium, licet ululatus et fletus, licet fundamus preces et innumeris obsecrationibus proclamemus, nemo audiet, nemo 75 subveniet, sed ne extremo quidem digito aquam quis infundet linguae nostrae positae in flammis, sed audiemus illud quod dives ille audivit ab Abraham : « Quia chaos magnum confirmatum est inter nos et vos et neque hinc illuc transirire potest, neque inde huc. » Resipiscamus ergo tandem, quaeso te frater, et Dominum nostrum, tanquam boni servi et utiles, requiramus nec desperemus, dum in hac luce vivimus, veniam nos posse per paenitentiam promereri. In inferno autem tantum, ut diximus, paenitentiae medicamenta non proderunt. In 85 hac vero luce positus, etiamsi in extrema aetate adhibeas, etiamsi in ultima senectute, mihi crede, curaberis. Ideo denique Diabolus omnia movet et agit ut animum nobis desperationis inducat. Scit enim quia si vel parvo tempore quis paenititudinem gerat quamvis sit brevis, non erit 90 tamen ei infructuosa conversio. Sed sicut is qui calicem aquae frigidae porrexerit, nequaquam fructum mercedis amittit, ita et is qui pro male gestis praeteritis paenitu-